# NUMISMATA ANTIQUA

## INEDITA.

COMMENTARIIS AC TABULIS ILLUSTRAVIT

M. PINDER.

PARTICULA PRIMA.



BEROLINI
EX OFFICINA ACADEMIAE REGIAE SCIENTIARUM
MDCCCXXXIV.

SUMPTIBUS DUNCKERI ET HUMBLOTII.

VIRO

EXCELLENTISSIMO ATQUE ILLUSTRISSIMO

LIBERO BARONI STEIN AB ALTENSTEIN

AUGUSTISSIMI BORUSSIAE REGIS A REBUS ECCLESIASTICIS SCHOLASTICIS ET MEDICINALIBUS ADMINISTRO SUMMO CET. CET. CET.

HUNC LIBELLUM

PIO AC DEVOTO ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Quum per triginta fere annos, ex quo numismata cum Knobelsdorffiana, tum alia apud nos ab Sestinio edita sunt, liber qui nummos veteres illustraret ex omni Borussia, florentissimo litterarum statu, ne ullus quidem prodierit: non incommodum mihi visum est, ex Museis quae et Regio sumptu et privatorum opera hoc tempore vel aucta sint vel recens instituta, numismata vetera quae minus cognita essent, in libellum collecta commentariis tabulisque illustrare. Neque dubitavi pretiosissimis adiungere nonnulla quae nonnisi novitate commendarentur. Ea enim nunc est huius disciplinae conditio, ut nummis, graecis dumtaxat, quotquot innotuerint, Mionneti potissimum opera corpus in unum collectis, non parvi interesse videatur, ut communem huncce thesaurum suis quisque bonis afferendis reddat quam completissimum. Qua in re nihil parvum ac futile existimandum est, quod est novum. Nam nonnisi innumeris his rebus minutis conflatur admirabilis illa doctrina, quae ex continua nummorum serie artium apud varios populos origines ac progressus, singularum urbium symbola, religiones, instituta, ipsius linguae ac scripturae multiplices modos cognoscere docet, quae — ut plurima mittamus — quum excellentium virorum effigies simul cum certis rerum gestarum testimoniis nobis offerat, efficit ut quos ex vetustatis quasi tenebris producere historicorum narrationes non valeant, eos veluti praesentes amicos intueamur.

Sed tamen minus amplificando nummorum systemati quam emendando opera danda videtur. Quod nuper fa-

cere tentavi, quum in scriptis Instituti archaeologici Romani nummos quosdam antea propter epigraphen ΠΥ Pylo vel Pythopoli plerumque tributos, mota de Byzantio suspicione, huic urbi certissimis vindicarem argumentis, in quibus hoc est, quod, uti litterae β et π alternant in vocibus βυθός et πυθμήν, βυτίνη et πυτίνη, aliisque non paucis, ita nomen quoque Byzantis, qui Byzantium condidisse traditur, Βύζας et Πύζας antiquitus scriptum esse constat ([1]). Hoc loco alium ex erroribus, qui utilissimo in opere Mionneti sine ulla praestantissimi viri culpa propagati sunt, corrigere studebo.

Exiguum est Cariae oppidum Prinassus dictum, cuius et Polybius et Stephanus Byzantius meminere. Ei oppido (nunc non quaeram quo iure) tribuuntur nummi quidam aenei, antea, quum lectu saepe difficiles essent, pro Pergaeis habiti, quorum exemplar bene servatum ex Museo Rauchiano ante oculos mihi est. Exhibent hi nummi ab antica parte Sphingem alatam sedentem, a postica feminam stantem Dianae ritu succinctam, quae dextra coronam tollit, sinistra hastam tenet, adscriptis litteris ΜΑΝΑΨΑ ΠΡΕΝΑΣ, quarum litterarum extremae, ut fit, nonnumquam desiderantur. Pretium his nummis a Mionneto constituitur *quindecim* francorum. Eiusmodi in nummo, sed mutilo, quum primum elementum (Μ) propter metalli angustiam prorsus deficeret, reliqua lectu ambigua essent, Musei Hedervariani editor Caronnius legebat ΑΝΑΦΛΙΣ..., quod Ἀναφλυστίων interpretabatur, unde sculptor nimis officiosus fecit in tabula ΑΝΑΦΛ:
ΝΩΙΤΣ

Hic igitur litteram Ι, quam punctis tantummodo expressit, ille elementa ΤΙΩΝ, quae omnino omisit, in nummo

([1]) Bekkeri Anecd. Vol. III. p. 1186.

non inveniri ipsi confessi sunt. Accessit editor alter Sestinius, vir his in rebus versatissimus quidem, sed inconsultior quam doctior, qui ΑΝΑΦΛΥΣΤΙΩΝ fidenter legere non dubitavit. Quam autem diximus in diversis exemplaribus agnosci feminam Dianae ritu succinctam, eam Caronnius cum sculptore suo fecit militem barbatum, Sestinius ex milite barbato fecit Venerem cum pomo (¹). Iam quum videamus de Veneris barba litem esse, quam probos ac sinceros putabimus cum nummi typos tum editorum oculos! Hunc igitur nummum mutilum Mionnetus Anaphlysto, Atticae pago qui numquam nummos signavit, tributum, velut cimelium unicum, *ducentis* francis aestimavit, tanto pluris, quam si nummus integer fuisset (²).

Verum quum non magis necessarium sit fidem abrogare falsis quam addere dubiis, nummos aliquot editos quidem sed ita editos ut suspicionem moverent, inter numismata mea anecdota recipere non dubitavi (³), quibus hoc loco nummum singularem adiungam Eckhelio suspectum, qui haec habet in Hierapoli Phrygiae:

(¹) Musei Hedervariani P. I. p. 148. n. 3771. Tab. XV. n. 334. — Sestini *Descrizione delle med. ant. greche del Mus. Hedervariano. Parte Europea* (Vol. I.) *Firenze* 1830. 4. p. 75.

(²) Aliud commentum ut ex systemate numismatico expungerem, nummulum Knobelsdorffianum, in quo Sestinius (*Lett.* VI. p. 29. Tab. I. n. 18.) litteras ΜΑΓΝΗΤ. ΗΡΓΩ navi Argo adscriptas perhibuit, sed sculptor misellus nihil quod huius epigraphes similius esset, quam ΑΤΛΡΤC extricare ex vagis ductibus potuit, prorsus ita ut est ipse delineavi (Tab. II. n. 4.) comparatis duobus aliis exemplaribus, altero Rauchiano, altero Knobelsdorffiano, quorum neutrum certa litterarum vestigia exhibet, nisi quod in omnibus ΣΑ scriptum videtur. Alterum quod dixi exemplar Knobelsdorffianum a Sestinio prorsus eius nummi oblito quem modo Magnesiae tribuerat, inter Athenienses relatum est.

(³) v. infra, sub urbibus Eryce et Phacio.

ΦΑΒΙΟΣ Ο ΜΑΞΙΜΟΣ. Caput Augusti nudum.

)( ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ ΤΡΥΦΩΝ. sine typo.

„Lectio anticae, inquit, mihi oppido suspecta, idque eo magis quod aliud non habemus in moneta Hierapolitarum exemplum inscripti in utraque superficie magistratus." Unde Mionnetus nummum tam mirum in catalogum suum non admisit. At exemplar Rauchianum habeo huiusmodi:

ΦΑΒΙΟΣ ΜΑΞΙΜΟΣ. Caput nudum, quod videtur Augusti esse, ad d.

)( ΙΕΡΑΠΟ<br>ΛΕΙΤΩΝ<br>. . . ΥΑΣ } intra coronam lauream. AE. 3.

Musea nummorum antiquorum nobiliora Berolini haec fere sunt: *Friedlaenderianum, Rauchianum, Schaufsianum, Gaertnerianum, Doeplerianum, Uhdenianum, Ruehlianum,* denique *Knobelsdorffianum,* quod a Knobelsdorffio iuniore haereditate ad filium adolescentem simul cum paternis et avitis studiis transiit. Horum Museorum tria quae priora posui materiam huic libello suppeditarunt. Item Museum Regium, cuius nummis antiquis post Knobelsdorffianos, Adlerianos, Herrmannianos his ultimis annis accesserunt sexcenta numismata ab Arditio, viro nobili Neapolitano, Regi Augustissimo oblata, porro selecti aliquot nummi a Knobelsdorffio iuniore emti, denique id nunc agitur ut Musei Wolańskiani quod Inowraclaviae, Posnaniae oppido, antehac fuit, non exigua pars acquiratur.

Nummorum effigies tabulis aeneis qua summa potui fide ipse insculpsi. Commentarii qui tabulis in vulgus exituris adiungendi videbantur, non id agunt, ut nonnisi nova semper doceant, sed ut typos nummorum intuentibus ea quae ad interpretationem facere possint, in memoriam studeant revocare.

## DONNUS GALLIAE REX.

Caput muliebre alatum et inauribus ornatum, ad d., pone caduceus, omnia intra circulum.

)( DON. Leo currens ad d. AR. 2. (*B. Friedlaender*). Tab. I. n. 5.

Caput in antica repraesentatum deae *Pacis* esse facile ex caduceo colligitur. Quam deam caduceo praeditam videmus in nummis apud Locros Epizephyrios cusis, addita insuper inscriptione ΕΙΡΗΝΗ. Eadem et alata et caduceata satis frequens est in nummis Claudii aliorumque imperatorum. Alae autem in nummo nostro ipsi capiti adiunctae sunt, quum non tota deae figura appareat. Ex aversae epigraphe DON probabile est, nummum nostrum, vel ob ipsam fabricam haud dubie Gallicum, regi *Donno* tribuendum esse, cuius nummi argentei exstant hinc caput Palladis galeatum et epigraphen DVRNACOS, inde equitem hastatum addito nomine DONNVS exhibentes. Durnacos utrum nomen sit urbis Doornick in Gallia Belgica sitae ideoque noster quoque nummus huic urbi tribuendus, in incerto id quidem relinquendum videtur. Similiter etiam nomen DVBNOREX modo solum in nummis occurrit, modo cum epigraphe DVRNACOS coniunctum. Leo, quem nummi nostri postica repraesentat, in Galliae moneta non est infrequens, nam praeterquam in nummis urbium Massiliae, Beterrae, Catalauni, Lugduni, Remorum, etiam in nummis regum Gallicorum haud raro comparet, velut in sequenti: REX ΔALETVΩNVS. Caput leonis. )( SOTIOΓA. Leo gradiens [1].

---

[1] Pellerin, *Rec.* I. p. 32.

## TARENTUM CALABRIAE.

ꞫAΡΑΤ. Taras nudus, utraque manu porrecta, delphino vehitur ad s. Infra concha oblonga aperta ita ut utraque testa appareat.

)( Rota quattuor radiorum; in uno segmento delphinus ad s. AR. 4. crassus. (*Mus. Reg. Boruss.*, *donum Arditii*). Tab. I. n. 2.

A similibus qui recens editi sunt hic nummus praesertim delphino rotae radiis interposito distinguitur. Apparet huiusmodi nummos, molis non largae sed admodum crassae, vetustate proxime accedere ad eos qui tenui argenti lamina effigiem plerumque unam eandemque hinc prominentem inde incusam exhibent. Quum enim pleraeque Graeciae propriae civitates in percutiendis nummis ita versatae sint, ut a crassioribus et quadrato incuso primum signatis ad tenuiores largioresque sensim progrederentur, (cuius rei exempla sunt Atheniensium, Thasiorum, aliarum civitatum numismata, quae initio globulorum formam, deinde clypeorum referebant): Magna quae dicitur Graecia plane diversum ab hoc sequuta institutum neque quadrato incuso unquam usa, largiores primum laminas percussit, deinde argenti materiam in arctum magis contraxit. Quod Tarentini prius quam reliqui videntur fecisse, rarissima enim supersunt numismata eorum incusa, quae et ipsa priscis typorum ac litterarum formis ab his nummis qui rotam exhibent fere aequantur.

*Rota* ac reliqui typi antiquissimi, *testudo, clypeus Boeotius, Gorgonis os, Sepia, Diota,* eam fere omnes commoditatem praebebant, ut forma sua rotunda aptissime nummi aream implerent. Quod sine dubio nonnihil ad hos potissimum typos initio deligendos fecit. Rota antiquo more quattuor divisa radiis (*τετράκναμος*, ut est apud Pindarum)

in segmenta sua, sicut quadratum incusum quoque, facile recipiebat litteras ac sigilla minuta. Ex. gr. ΚΑΛΧ inter rotae radios scripsere Chalcedonii, ΜΕΤΑ Mesambriani, illorum quippe coloni.

Rotam cum Gorgonis ore coniungunt nummi argentei ultimae antiquitatis qui satis magno numero in Borussia recens inventi sunt iis locis, quae ad electrum emendum frequentasse veteres constat.

Inter nummos ab Arditio, clarissimo viro, Regi Borussiae dono oblatos triginta septem sunt Tarentini, quorum duo praeter eum quem modo descripsimus, antiquissimi, rotam habent, sed sine delphino. Sequuntur paullo recentiores:

ΑϘΑΤ. Taras nudus delphino vehitur ad d., sinistra porrecta, dextra tenens polypum; omnia intra circulum.

)( Equus marinus alatus et frenatus ad d. Infra concha. AR. 4.

Caput muliebre monili ornatum ad s. intra circulum.

)( ΤΑΡΑϟ. Taras nudus delphino vehitur ad s. manibus porrectis. Infra concha pectunculi minuta. AR. 5.

Plurimi porro exhibent equites *Ταραντινίζοντας* (1) cultu vario, variis magistratuum nominibus adscriptis. Ex duobus minutissimis alter ineditus est:

Diota et tres globuli.

)( ΦΙ. Diota. AR. 1. (2)

Caput iuvenile imberbe ad d., pone Η.

)( Diota et quinque globuli. AR. 1.

His adiungendus fortasse est nummus eiusdem exiguitatis sed aeneus, cum typo adversae ad Iovem referendo

---

(1) v. Steph. Byz. s. v. Τάρας.

(2) Similis est in Museo Capyciolatro, v. Avellino, Ital. vet. num. p. 82. n. 452.

cuius dei caput ac fulmen in nummis Tarenti aeneis [1], qui omnino rariores sunt, inveniuntur.

Aquila expansis alis ad d.

)( A. Diota. AE. 1. (*in Mus. R. Berol., donum Arditii*).

Vides in tabula alterum nummum Tarenti nitidissimum [2]:

ΔA. Delphinus ad s., supra thyrsus lemniscatus.

)( Concha. AR. 1. (*de Rauch*). T. I. n. 1.

Thyrsum delphinus habet quasi bacchans, magnum enim in Neptunia urbe numen erat Bacchi. Unde diotam Bacchicam Taras, Neptuni filius, tenere solet, et caput Bacchi Indici in nummis Tarentinis spectatur, neque ipsa uva deest. Tarentinum enim genus uvarum laudabatur, ut Plinius perhibet [3], vinaque Tarentina celebria erant [4].

## METAPONTUM LUCANIAE.

Caput virile imberbe cum cornu arietino, ad s.

)( META. Spica cum culmo cui noctua insidet. AR. 2. (*Mus. Reg. Boruss. ex Museo Herrmanniano*). Tab. I. n. 7.

A nummo simili iam edito [5] noster integriore epigraphe META differt.

Iovis Ammonis cultus ab Eleis, apud quos Pausania teste [6] vigebat, ad Metapontinos eorum colonos transla-

---

(1) Millingen, *Ancient coins*, p. 12. n. 6 et 7. Aquila est etiam in aureis Tarenti nummis.

(2) Similis est in Museo Capyciolatro, v. Avellino, Ital. vet. num. p. 82. n. 413.

(3) H. N. XIV. 3. sect. 4. 7.

(4) ibid. 6. sect. 8. 6. Martial. XIII. 125. Athen. I. p. 27. c.

(5) Mionn. Suppl. I. p. 302. n. 687.

(6) V. 15.

tus videtur. Inter alia quae cum Elide communia Metapontum habuit, Acheloi quoque, herois Aetoli, cultus referendus est: Aetolis enim heroibus Eleos sacra facere consuevisse Pausanias perhibet (1).

Cum spica fertilitatis symbolo varia coniunguntur sigilla. In nummo ex antiquissimis uno, quem optime servatum in Museo Gothano vidi, prope spicam est a postica parte delphinus eodem loco incusus, ubi ab antica parte cicada exstat. Quae signa hinc inde exhibita optime conveniunt urbi quae hinc terrae divitiis abundabat, inde maris opibus augebatur. Exemplar alterum habet Ser. Dux de Luynes (2).

## ERYX SICILIAE.

EPVKINON. Caput muliebre ad d.

)( Canis stans ad d. intra tres orbiculos. AE. 3. (*Mus. Reg. Boruss. ex Mus. Herrmanniano*). Tab. I. n. 12.

Hunc nummum elegantissimum Mionnetus in opere suo omisit: neque iniuria, nam unico eius nummi exemplari in Arigonii tabulis proposito iam Eckhelius fidem negaverat. Unde nummi similes, sed epigraphe destituti, Segestae omnes tributi sunt.

Nummus noster integerrimus nobilique obductus aerugine idem videtur esse, quem Arigonius possedit, qua de re infra ad nummum Phacii dicemus. Antiquitatis est, ut

---

(1) V. 15. Ἠλεῖοι δὲ καὶ ἥρωσι καὶ γυναιξὶ σπένδουσιν ἡρώων, ὅσοι τε ἐν τῇ χώρᾳ τῇ Ἠλείᾳ καὶ ὅσοι παρὰ Αἰτωλοῖς τιμὰς ἔχουσιν. Non opus est igitur in interpretando Acheloo in Metapontinorum moneta repraesentato de ignobiliore eiusdem nominis fluvio cogitare cum Ser. Duce de Luynes (*Métaponte*, p. 7. „*C'est ici probablement l'Achéloüs d'Elide et non celui d'Etolie, puisque les Pyliens fondateurs de Métaponte avaient un fleuve de ce nom.*")

(2) *Métaponte par le Duc de Luynes. Paris.* 1833. fol. Tab. I.

inter aeneos, summae: testantur et littera V pro recentiore Y, et caput Egestae vel Veneris priscam redolens artis severitatem. Certe haec non est Horatiana illa:

Erycina ridens
Quam Iocus circumvolat et Cupido ([1]).

Capillorum cultum eundem antiquissimi Syracusarum nummi exhibent.

Canem nummis suis multae imposuere civitates eaeque diversis commotae argumentis: Cydoniatae Cretenses quia optimi essent venatores ([2]), Colophonii quod canes in aciem educere solerent ([3]). Canis phocam depascit in moneta Phocaeensi, in Tyria muricem mordet, sic enim purpura primum inventa esse ferebatur. Epidaurii canem adiungebant Aesculapio, quod dei infantis custos fuisset ([4]), Alexandrini Mercurio, cui ob sagacitatem et vigilantiam optime competit. Illustriores quidam canes in nummis sunt Laelaps Cephali comes apud Samaeos Cephaleniae, Sirius astris illatus, ideoque radiis cinctus in moneta Ceae insulae. Canis in nummo Madyti ([5]) κυνὸς σῆμα repraesentat, quod illibi Hecubae in canem mutatae erectum erat.

Nulla tamen terra canis figuram frequentius in moneta nobis offert, quam Sicilia, quippe quae canes formae elegantissimae, quales in nummis apparent, magno numero possideret. Mille canes Molossis praestantiores mirisque praediti virtutibus Adrano heroi in urbe cognomine ad Aetnam montem sita alebantur ([6]), qui variarum in urbium

([1]) Horat. Od. I. 2. 33.
([2]) Maxim. Tyr. Diss. 23.
([3]) Plin. H. N. VIII. 61.
([4]) Pausan. II. 27. 2. cf. II. 26. 4.
([5]) Millingen *Ancient coins,* p. 43. Tab. III. n. 7.
([6]) Aeliani H. A. XI. 20.

moneta, Adrani, Agyrii, Mamertinorum comparent. Tantas autem in fabulis Siculis partes habebat canis, ut deum Crimissum, qui fluvius est amoenissimus, assumpta canina forma Egestae amore fruitum procreasse Egesten ferrent, trium urbium Egestae, Erycis et Entellae conditorem. Hic igitur fluvius non taurina forma, quemadmodum alii, sed ut canis eximie gracilis effingitur et in nostro nummo, et in aliis nummis Erycis, Egestae, Selinuntis — ibi enim cum Hypsa coniunctus Crimissus in mare sese effundit — item in nummis Motyae ac Panormi. In universum a Siculis nummos effigie canis percussos, ut fabulae de Crimisso narratae indicio essent, Servius perhibet (¹).

Orbiculi admodum artificiose confecti, umbilico in mediis prominente, nequaquam unciarum numerum designant; in argenteis rota orbiculi locum nonnumquam implet; item granum tritici, haud dubium Cereris symbolum. Neque alia profecto res est quam pro caseo Cythnio tali in nummo, tunc Cythno insulae tributo, Begerus et Winckelmannus habuerunt.

Nummi nostri, olim Arigoniani, quum iam non dubia sit fides, similes anepigraphi eodem iure in posterum Eryci vindicabuntur, quo huc usque tributi sunt Segestae. Cuiusmodi unum ineditum commemoro propter exiguitatem: editi enim non minores sunt quam AE. 4.

Caput muliebre ad d.

)( Canis stans, ad d. AE. $1\frac{1}{2}$. (*de Rauch*).

## PHILIPPOPOLIS THRACIAE,

IMP. COMMODO.

ΑΥΤ ΚΑΙ Λ ΑΥΡΗ ΚΟΜΟΔΟϹ. Caput Commodi laureatum ad d.

---

(¹) ad Virg. Aen. V. 30.

)( ΗΓΕ ΟΥΕΛ ΜΑΡΚΙΑΝΟΥ ΦΙΛΙΠΠΟΠΛΕΙΤΩΝ. (sic). Diana et Apollo, cum arcu et pharetra, quorum in medio ara ignita. AE. 9½. (*de Rauch*). Tab. II. n. 12.

Apollo, a Philippo, qui urbi nomen dedit, praecipue cultus et solus nummis aureis impressus, Philippopoli eximio in honore habitus est, id quod et dei imago non raro in nummis obvia, et ludi Pythii ibi celebrati satis testantur.

Cum Pythiis coniuncta in Philippopoleos nummis exhibentur *Cendrisia* (Κενδρείσεια Πύθια ἐν Φιλιπποπόλι νεωκόρῳ). Quorum ludorum explicatui antea desperato inexspectatam lucem nuper attulit inscriptio Philippopolitana, quae tribum eius urbis memorat, cui nomen οἱ Κενδρισεῖς, a numine quodam, ut doctissimo editori videtur, inditum ([1]).

Alia eiusdem urbis tribus, duabus in inscriptionibus commemorata, a Diana nomen habebat φυλὴ Ἀρτεμεισιάς ([2]). Cui deae ad eandem cum Apolline aram in nummo nostro repraesentatae communes cum divino fratre honores Philippopoli tributos esse verisimile est.

Magistratum nummus noster nominat *Vellejum Marcianum*. In alio eiusdem aetatis nummo Philippopolitano scriptum esse perhibetur ΗΓ ΣΟΥΛ ΜΑΡΚΙΑΝΟΥ (*Catalogue d'Ennery* pag. 476.); item in aliquot Hadrianopolitanis. Noster clarissime impressum habet ΟΥΕΛ.

---

([1]) Boeckhii Corpus Inscript. Vol. II. n. 2049. Iidem ludi, si bene legit Sestinius, Nicaeae celebrati, teste nummo Valeriani senioris, in quo est ΚΕΝΔΡΕΣΕΙΑ ΠΥΘΙΑ ΝΙΚΑΙΕΩΝ. Sestinii Descr. n. 41. Scilicet Nicaea cum Thracia ita coniuncta erat, ut cum Byzantio concordiae nummos signaret.

([2]) ibid. n. 2047. 2048.

# MACEDONIA

## IMPERATORE ELAGABALO.

ΑΥΤ Κ ΜΑΡ ΑΝΤΩ.. Caput Elagabali radiatum ad d. cum paludamento.

)( ΚΟΙΝΟΝ ΜΑΚЄΔΟΝΩΝ ΝЄΩΚΟΡΩΝ. Duae urnae cum palmis super tabula quadrata. AE. 7. (*de Rauch*). Tab. I. n. 8.

Inter imperatorios Macedoniae universae nummos, quorum series ab Augusto ad Trebonianum Gallum extenditur, Elagabalus, quem nummus noster exhibet, editus nondum erat.

Constat communem Macedoniae monetam imperatoriam initio inscriptam fuisse ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ ΣΕΒΑΣΤΟΣ (1), postmodum, a Domitiano inde, ΚΟΙΝΟΝ ΜΑΚЄΔΟΝΩΝ, addito sub Caracalla et sequentibus Β ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Quarum inscriptionum prima, ad Augustum referenda, bene consentit cum monumento lapideo Sirrhae, Macedoniae urbe, recens invento (2), quod quum Archisacerdotem et Agonothetam Augusteorum, ΤΟΝ ΑΡΧΙΕΡΕΑ ΚΑΙ ΑΓΩΝΟΘΕΤΗΝ ΤΩΝ ΣΕΒΑΣΤΩΝ, celebret, numini Augusto in Macedonia et templum exstructum et ludos constitutos fuisse comprobat. Est etiam nummus aetatis Augusteae Macedonicus ΑΓΩΝΟ ΘΕΣΙΑ inscriptus, quem nuper illustravit Cusinerius (3).

---

(1) Huius generis nummus rarissimus idemque nitidissimus ex collectione Herrmanniana accessit Museo Regio Berolinensi: ΟΥΙΤЄΛΛΙΟϹ ΓΕΡ ΜΑΝΙΚΟϹ ΚΑΙϹΑΡ. *Caput Vitellii laureatum ad s.* )( ΜΑΚΕ ΔΟΝΩΝ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Clypeus Macedonicus.* In quo observantur litterae Ε et Σ servata forma antiqua clypeo, veteri Macedonum symbolo, adscriptae, quum eaedem in imperatoris nomine recenti more curvatae sint.

(2) Hoc monumentum primum editum est in Cousinéry *Voyage dans la Macédoine* T. I. p. 226. Tab. II.

(3) ibid. T. I. p. 28. Tab. I. n. 2.

Huiusmodo ludi Augustei, in nummis Byzantii dicti Σεβαστά, alibi etiam Σεβάστεια, in Gallia quoque communi provinciae nomine habiti sunt ad aram Lugduni positam, cui sexaginta gentium nomina inscripta legebantur (1). Docet Suetonius, omnino provinciarum plerasque super templa et aras ludos quoque quinquennales Augusto (velut alteri Iovi Olympio) constituisse (2). Quales ludi quinquennales quamvis diversi ab antiquis Olympiis, in nummis ΟΛΥΜΠΙΑ dici solent (3). ΟΛΥΜΠΙΑ sane legimus in communibus Macedonum nummis, quibus ludorum insignia impressa sunt.

Huic Augustorum cultui, qui usque ad Caracallam solus in communibus Macedonum nummis obtinuit, inde ab huius imperatoris itinere in illas regiones facto accessit cultus Alexandri Magni, id quod diserte Herodianus testatur (4). Nec nummi desunt inde a Caracallae aetate cusi cum duabus urnis, ludorum signis, quibus praeter ΟΛΥΜΠΙΑ adscriptum est ΑΛΕΞΑΝΔΡΙΑ (5).

Satis noti sunt nummi Alexandri caput nomenque exhibentes, iique velut omnis Macedoniae universae moneta quae Caracallae tempora non antecedit, Β ΝΕΩΚΟΡΩΝ inscripti (6). Quem neocoratus statim duplicis honorem a

---

(1) Strabo IV. p. 192. Dio Cass. Lib. LIV. c. 32. p. 762. Sueton. Calig. c. 20.

(2) Sueton. Octav. c. 59. Augusto Herodes Atticus statuam erexit habitu Iovis Olympii. Ioseph. bell. Iud. I. c. 21. §. 7.

(3) Eckhel. D. N. IV. p. 447.

(4) Lib. IV. c. 8.

(5) Ex. gr. apud Mionn. T. I. p. 555. n. 589. — Spanheim I. p. 382.

(6) Nonnumquam tamen numerus Β vel ΔΙC omittitur, quum sufficiat omnino commemorasse neocoratum; id quod in solo Diadumeniano factum Eckhelius falso opinatus est. Idem Β. ΔΙC ubi coniunguntur, monetarii lapsu id accidisse putat (D. N. II. pag. 110.): sed Β ibi significat ΒΕΡΑΙΩΝ, Beroeae enim tunc agones a communi Macedonum agebantur.

Caracalla Macedonibus commissum esse non mirum. Qui enim imperator omnia cum Alexandro communia habere, ipsasque imagines coniunctis utriusque vultus lineamentis confici vellet [1], qui se Alexandrum appellari iuberet [2], Alexandro autem Augusti nomen tribueret [3]: eum profecto exspectaveris cum nihil separatim, quod ad alterutrum referretur, instituturum, tum neocoratum etiam utrumque et Alexandri, et numinis Augusti [4], coniuncturum fuisse.

Duo igitur templa adscripto duplici neocoratu in Macedoniae nummis obvia verisimile est *Alexandri Augustique* esse. Item ludi Alexandrei et Augustales in nummo nostro significari videntur typo duarum urnarum. Quales urnas ut mensis impositas saepe in nummis, ita columnis sustentatas, gallorum loco, nonnunquam videmus in vasorum Panathenaicorum picturis [5].

## ACANTHUS MACEDONIAE.

Pars anterior leonis ad s., infra in segmento bucranium cum cornibus, omnia in circulo punctis distincto.

)( Quadratum incusum quadripartitum. AR. 3. (*Mus. Reg. Boruss. ex Museo Knobelsdorffiano*). Tab. II. n. 13.

Acanthus, nunc Hierisos, libera olim et opulenta Thraciae civitas, antequam Macedonum in potestatem veniret,

(1) Herodian. Lib. IV. c. 8.

(2) Aurel. Victor. Epitome, 21. 4.

(3) Dio Cass. Lib. LXXVII. c. 7. p. 1292 sq.

(4) Neocoratum Augustorum omnino exstitisse non dubium. Smyrnaei ΝΕΩΚΟΡΟΙ ΤΩΝ ΣΕΒΑΣΤΩΝ in nummis et marmore appellantur. v. Eckhel, D. N. II. p. 559.

(5) Ex. gr. in Museo Reg. Berol. n. 649.

insignem cudit copiam nummorum, qui frequentes hodie in eius urbis ruderibus inveniuntur. Metalla profecto possidebat quae adhuc inexhausta a Turcis coluntur ad vicinum vicum *Nisvoro* dictum ([1]).

Ex duobus animalibus in Acanthiorum moneta vulgo obviis nonnisi unum in nummo nostro, satis exiguo, exhibetur. Tetradrachma leonem et taurum pugnantes repraesentare notum est, quae animalia summi valoris exemplo veteribus erant. Eorum pugnae ab Homero inde celebratae ([2]). Praeclare autem hic nummorum Acanthiorum typus illustratur ab Herodoto narrante, *quum Xerxes Acantho proficisceretur, camelos eius onerarios a leonibus infestatos esse, ea enim in regione multos esse leones et boves feros, quorum cornua eximiae magnitudinis in Graeciam exportarentur* ([3]). Quibus simul declarat, cur magna illa cornua nummis haud raro imposita sint, quippe quae celebritatem quandam per omnem Graeciam haberent. Neque solum in tetradrachmis pugnam illam repraesentantibus bucranium cum magnis his cornibus spectatur ([4]), sed etiam in his nummis minoribus qui leonem tantum exhibent, ubi Sestinius florem acanthi videre sibi visus est ([5]).

---

([1]) Cousinéry *Voyage* II. p. 150.

([2]) Il. π. 487. ἠΰτε ταῦρον ἔπεφνε λέων. — Il. ρ. 542. ὥς τίς τε λέων κατὰ ταῦρον ἐδηδώς. — Il. μ. 293. Σαρπηδόνα μητιέτα Ζεὺς ὦρσεν ἐπ' Ἀργείοισι λέονθ' ὣς βουσὶν ἕλιξιν. — Item Pythia apud Herodotum VII. 220. Οὐ γὰρ τὸν ταύρων σχήσει μένος οὐδὲ λεόντων ἀντιβίην.

([3]) Hdt. VII. 124 sq. Ξέρξης δὲ καὶ ὁ πεζὸς στρατὸς ἐπορεύετο ἐκ τῆς Ἀκάνθου . . . πορευομένῳ δὲ ταύτῃ λέοντές οἱ ἐπεθήκαντο τῇσι σιτοφόροισι καμήλοισι . . . εἰσὶ δὲ κατὰ ταῦτα τὰ χωρία καὶ λέοντες πολλοὶ καὶ βόες ἄγριοι, τῶν τὰ κέρεα ὑπερμεγάθεά ἐστι τὰ ἐς τοὺς Ἕλληνας φοιτέοντα.

([4]) Ex. gr. apud Mionn. *Suppl.* III. Pl. 3. n. 6. 7.

([5]) *Lett. numism. contin.* IV. p. 56. Tab. I. n. 18.

Leones sua quoque aetate eo in tractu novit Aristoteles, quum in Europa inter Acheloum tantum Nestumque amnes leones esse scriberet.

Memorandum est etiam ad illustrandos Acanthi nummos monumentum non ita longe ab illa regione in Macedonia nuper inventum quod prorsus eandem leonis ac bovis pugnam exhibet ([1]). A simili monumento lapideo *Bucoleon* nomen tulissi perhibetur Zonarae Annal. Vol. II. p. 207: *Βουκολέων ὁ τόπος ὠνόμασται ὅτι λίθινος λέων λελάξευται ἐν αὐτῷ βοὸς ἐπιβεβηκὼς ὁμοίου, καὶ τῷ εὐωνύμῳ ποδὶ κατέχων τὸ κέρας αὐτοῦ καὶ περιστρέφων τὸν αὐχένα τὸν τοῦ βοός.* Eandem imaginem saepe videmus in vasis fictilibus, inter nummos autem maxime in Tarsensibus Ciliciae tum autonomis cum epigraphe Phoenicia, tum imperatoriis Gordiani Pii. In aspera enim regione illa Tracheotide armenta feris solebant infestari.

Quadratum incusum, quod in nummo nostro simplici forma Macedonica expressum videmus, non alius in urbis moneta magis est nitide excultum quam in Acanthia. Nam quadratum initio rude et informe, deinde quattuor in quadrata partitum, mox margine cingitur qui litteras ΑΚΑΝΘΙΟΝ in se recipit, dum quattuor quadrati interioris partes surgunt in totidem pyramides punctis obsitas. Minorum numismatum singulis quattuor quadratis singulae litterae Α Κ Α Ν inscribuntur. Transit denique quadratum in circuli formam, ut rota quattuor radiorum spectetur, interpositis litteris eisdem Α Κ Α Ν. Postremo nihil de quadrato restat, nisi duae lineae quae se invicem secant ac litteras secernunt.

---

([1]) Cousinéry *Voyage* I. p. 99. cum tabula.

## PAUSANIAS REX MACEDONIAE.

Caput iuvenile imberbe tenui diademate redimitum, ad d.

)( ΠAY. Avis stans, ante clava. AR. 3. (*B. Friedlaender*). Tab. I. n. 6.

Pausaniae, qui nonnisi unum regnavit annum (398 a.C.), pauci tantum nummi supersunt. Duobus argenteis antea editis noster tertius adiungitur. Illorum uterque a postica parte equum exhibet, ab antica alter leonis protomen, alter caput iuvenile ei quod in nostro nummo est prorsus simile.

Post antiquiores regum Macedoniae typos, *caprum* ob Edessam capris ducibus captam memorabilem, *equitem*, duabus plerumque lanceis more domestico armatum, vel *equum*, qualis marmore albo sculptus, eximia arte ac magnitudine, eo ipso in loco ubi Aegae stetere, recens effossus est (1), *galeam* denique, quae ad Caranum refertur, primum in Perdiccae Archelaique I. moneta *caput Herculis* barbatum et leonis exuviis tectum apparet, in nummis autem Archelai II. sequentiumque regum exhibetur caput iuvenile imberbe capillis curtis, tenui diademate, in cervicem non defluente, redimitum.

Cuius generis capita quamvis longe abhorreant ab eo cultu, quo perfecta Graecorum ars deorum effigies repraesentare consuevit, nemo tamen ipsorum regum Archelai, Pausaniae, Amyntae II. vultus exhibere dabit Eckhelio, qui his capitibus probare studet, priscos Macedones barbam radere consuevisse, eorumque reges iam ante Alexandrum M. diademate esse usos (2).

---

(1) Cousinéry *Voyage dans la Macédoine* I. p. 80.

(2) Doctr. Num. II. p. 86.

Quodsi locum in nummis adhuc a Philippo II. diis solis servatum Alexander M. obtinuit, nonnisi ita obtinuit, ut deus, qui et haberi vellet, et ab oraculo esset pronunciatus. Sed hic et ipse, quemadmodum operis chryselephantini splendorem marmorisque claritatem deorum potius signis convenire, aes autem hominum statuis sufficere antiquitas existimavit, ita deam a se praecipue cultam pretiosissimo in metallo auro exprimi iussit, sibi nonnisi argentum delegit, satis ille quidem in divinitatis suae fastu moderatus.

Etsi igitur constat, caput illud iuvenile in Archelai II., Pausaniae et Amyntae II. nummis expressum non ipsorum regum esse, aliquid tamen dubii nascitur, quod idem caput est in nummis qui posterioribus regibus, Alexandro II., Philippo IV. et Alexandro IV. tribuuntur, ac simile caput sed causia tectum, in Aeropi moneta cernitur. Omnino haec quaestio quae est de regum Macedoniae nummis nondum satis expedita et ad finem perducta videtur. Quam in hoc loco relinquimus, id solum monuisse contenti, nihil causae iam restare, cur nummi propter hoc caput iuvenile Alexandro IV., quippe qui nonnisi iuvenis regnaverit, ab Eckhelio et Viscontio tributi, non ad Alexandrum potius Secundum referantur, praesertim si antiquo more inscripti sunt ΑΛΕΞΑΝΔΡΟ, veluti quos enumerat cl. Mionnetus, *Suppl.* III. pag. 243. n. 569 sqq. et Tab. X. Fig. 7.

Cuius autem dei heroisve sit caput in his nummis repraesentatum, utrum Herculis, Temeni, Carani, ut cl. Viscontio visum (1), an Apollinis, non certo dixerim, in tanta a graecis deorum formis discrepantia. Namque domestica quaedam et Macedonibus propria deorum forma adhuc in

(1) *Iconographie grecque* II. p. 79.

Philippi II. moneta observatur. In qua caput Iovis laureatum ab ea norma, quam Phidias constituit, tantopere differt, ut facile pro hominis effigie haberi possit; Apollo curtis capillis et crassa saepe cervice Herculi non absimilis, fere tantum assumpta graeco more laurea ab eo capite quod in nummo nostro est, distinguitur.

Quae in postica nummi nostri parte apparet clava Herculis, satis usitata est Macedonum regibus Heraclidis. Avis stans nequaquam aquila est, sed alitum nulli similior quam pavoni.

## PHACIUM THESSALIAE.

Caput imberbe diadematum cum inauribus et monili margaritarum, ad d.

)( ΦΑΚΙΑΤΩΝ. Eques pileatus, palliolo retro fluitante, dextra elata, ad d. Inter crura equi spica. AE. 5. (*Mus. Reg. Boruss. ex Museo Herrmanniano*). Tab. I. n. 11.

Nummus Phacii Arigonianus, qui cum nummo nostro optime servato congruit, unicus hucusque habebatur: et est fortasse: nam plura numismata summae raritatis ex Museo Arigoniano in Herrmannianum, quod Berolini nunc est, illata videntur. Ex quibus est illud etiam, quod supra in Eryce edidimus, prorsus unicum, et quoniam nullibi inveniretur, ab Eckhelio in dubium vocatum. Constat sane, post Arigonii mortem summam quidem Musei ab eo derelicti viris nobilibus Venetis Savorgnano, deinde Gradenigo cessisse, sed pretiosissima quaedam alios alia invenisse dominos (1). Tunc vero temporis L. B. de Herrmann Venetiis per intervalla degebat.

---

(1) v. Sestinii praefationem ad Catalogum nummorum veterum Musei Arigoniani, Berol. 1805. fol.

Animadvertendum tamen, in Arigonii tabulis, omnino incuriose factis, non expressam esse spicam, quae velut Cereris propitiae symbolum, in nostro aliisque Thessaliae nummis (¹) sub equi cruribus est sculpta. In nostro singularem spica formam habet, trifidam. Phacii agrum praecipue leguminibus ditem fuisse ex nomine a *φακός*, *lens*, ducto colligere queas.

Equites Thessali tam celebres fuerunt, ut Thessaliam Philippus non praedae cupiditate, sed quod exercitui suo robur Thessalorum equitum adiungere gestiret expugnasse diceretur (²). Cuius regis ante dominatum nummus noster cusus videtur. Aenei quamvis ea tempestate rari, inveniuntur tamen, id quod Eckhelius negavit, in ipsis Philippi II. antecessoribus Archelao, Aeropo, Pausania, sequentibus.

Atque huic tempori bene conveniunt severiora capitis muliebris lineamenta. Muliebre enim esse (fortasse Veneris) inaures testantur et margaritae: Raschio tamen regis alicuius esse visum.

Phacium oppidum non magnum Perhaebiam versus, prope Phaestum, Cyretias, Malloeam situm fuisse colligi potest ex locis Thucydidis et Livii inter se comparatis (³). Gentile ad Stephani Byzantii mentem *Phacieus* (τὸ ἐθνικὸν Φακιεύς, ὡς Κάλλιον Καλλιεύς): immo secundum nummi auctoritatem Φακιάτης.

## ASTACUS BITHYNIAE.

Sine epigraphe. Caput muliebre ad s. in quadrato incuso.

---

(¹) Ex. gr. in nummis Larissae.

(²) Iustin. Lib. VII. c. 6.

(³) Thucyd. Lib. IV. c. 78. Liv. Lib. XXXVI. c. 13.

)( Cancer Astacus, brachiis rapinam tenens. AR. 2½. (*Mus. Reg. Boruss. ex Museo Knobelsdorffiano*). Tab. I. n. 3.

Non mirum est, Astaci, coloniae a Megarensibus Olympiade XVII. deductae ([1]), nonnisi antiquissimos nummos exstare, quum urbs, florentissima olim Bithyniae regum sedes, post varias bellorum vices a Dydalse insigniter aucta, postmodum a Lysimacho funditus everterctur ([2]). Nummum nostro non absimilem, sed inscriptum ΑΣ, ediderunt Mionnetus ([3]) et Iacobus Millingen ([4]). Quo tamen hic noster, quum litteris careat, etiam antiquior videtur. Caput muliebre, singulari cultu et prisca artis severitate effictum, an *Olbiae* nymphae sit, cuius ex Neptuno filius Astacus urbi nomen dedisse ferebatur ([5]), incertum relinquimus. Urbes antiquas haud raro earum typos rerum, quae et ibi gignerentur, et sibi cognomines essent, nummis suis imposuisse, apii folio Selinuntem, rosa Rhodum, malo Punico Siden gavisas esse, notissima res est. Quo in genere typorum numerandus est etiam cancer (*ἀστακός*), quem illis in regionibus frequentem fuisse Aristotcles perhibet ([6]). Quicum consentit Archestratus, astaci formam qualis in nummo nostro expressa est, describens ([7]):

*ἀλλὰ παρεὶς λῆρον πολυώνυμον ἀστακὸν ὠνοῦ*
*τὸν τὰς χεῖρας ἔχοντα· μακρὰς ἄλλως τε βαρείας,*

---

([1]) Memnon apud Photium p. 228. *a*. 7. ed. Bekker. Euseb. Chron. Lib. II. p. 119.

([2]) Memnon ibid., Strabo Lib. XII.

([3]) *Planche* L. n. 9. et *Supplém*. V. p. 17.

([4]) *Recueil de quelques médailles gr. inéd.* p. 60. Tab. III. n. 15.

([5]) Steph. Byzant. s. v.

([6]) Hist. anim. V. 15. p. 214.

([7]) Apud Athenaeum Lib. III. p. 105. *a*.

*τοὺς δὲ πόδας μικρούς, βραδέως δ' ἐπὶ γαῖαν ὀρούει.*
*εἰσὶ δὲ πλεῖστοι μὲν πάντων ἀρετῇ τε κράτιστοι*
*ἐν Λιπάραις, πολλοὺς δὲ καὶ Ἑλλήσποντος ἀθροίζει.*

## NICAEA BITHYNIAE

IMP. SEVERO ALEXANDRO.

**M AYP ϹEYH AΛEΞANΔPOϹ AY.** Caput Severi Alexandri laureatum ad d.

)( **NIKAIEΩN.** Cista Bacchica semiaperta, unde serpens exit. AE. 5. (*de Rauch*). Tab. II. n. 3.

Cista Bacchica Nicaeae, quamvis non in ea Asiae regione sitae, unde cistophori prodiere, optime tamen competit ob Bacchum urbis conditorem. Noti sunt nummi Nicaeae inscripti **ΔIONYCON KTICTHN NIKAIEIC**, aliique ludos exhibentes, **ΔIONYCIA.** Cista eadem ad pedes Nicaeae nymphae a Baccho compressae comparet in nummo Caracallae ([1]).

## PRUSA AD OLYMPUM IN BITHYNIA

IMP. COMMODO.

**Λ AIΛ AYPHΛIOC KOWWOΔOC** (sic). Caput Commodi barbatum et laureatum ad d.

)( Mons arboribus obsitus, cuius vertici incumbit vir barbatus sinistram urnae imponens unde fons defluit. Infra **ΠPOYϹAEΩN.** AE. 8. (*de Wolański*). Tab. II. n. 2.

Urbis conditor aut Hannibal dicitur ([2]), aut Prusias I ([3]). Nummi Prusiam agnoscunt, cuius caput diadematum exhibent

([1]) Sestini Mus. Hederv. II. p. 56.

([2]) Plinius V. 43.

([3]) Strabo XII. Tzetzes Chil. III. hist. 143. v. 963.

adscripto ΠΡΟΥϹΑЄΙϹ ΤΟΝ ΚΤΙϹΤΗΝ ΠΡΟΥϹΙΑΝ ([1]). Pro mentione situs ad Olympum in nummo nostro mons ipse, Olympus Mysius, exhibetur. Qui mons ex amoenissimis campis exsurgens, magnam arborum varietatem generare dicitur, saxis multiplici forma inter nuces, castaneas, fagos exstantibus, mox, si altius ascendas, spissiore abietum et pinuum silva tectis ([2]). In summo monte, aëre saluberrimo, monasterium, velut in Atho, diu floruit; antea locum Iupiter tenebat Olympius, quem huius quoque Mysii Olympi dominum nummi testantur inscripti ΠΡΟΥϹΑΕΙϹ ΔΙΑ ΟΛΥΜΠΙΟΝ ([3]).

Vix locus alius fontibus calidis gelidisque ditior. Balnearum Prusae salubritatem antiqui agnoverunt, quum Aesculapium cum Hygiea et Telesphoro, ipsasque Naiades ([4]) nummis imprimerent; imperatores Byzantini huc migrabant ut curarent valetudinem.

Minores inter fontes fluvius *Horisius* (nunc *Nilufer* dictus) ab Olympo defluit, mox cum Rhyndaco in mare exiturus. Quem fluvium Horisium in nummo nostro aquas suas ex urna effundentem conspicimus, solito more, nisi quod rarioris exempli est, et quod fluvius monti incumbit, et quod exigui fluminis deus barbatus fingitur.

## ALEXANDRIA TROAS

MAXIMO CAESARE.

C IVL MAXIMVS CAE. Caput Maximi nudum cum paludamento, ad d.

---

([1]) Sestini *Lett. contin.* T. VII. p. 62. n. 3. Tab. II. Fig. 18.

([2]) Jos. v. Hammer *Umblick auf einer Reise von Constantinopel nach Brussa. Pesth.* 1818. 4.

([3]) Mionn. II. p. 479. n. 375.

([4]) in nummo Mamaeae, Mionn. ibid. p. 484. n. 406.

)( COL ALEXAN. Statua Apollinis cippo imposita, sinistra arcum, dextra pateram, ante tripus ignitus, pone arbor (cupressus). AE. 6. (*de Rauch*). Tab. II. n. 9.

Inter editos Alexandriae Troadis nummos Maximo Caesare (235 - 238 p. Chr.) cusos hic typus Apollinis Smynthii sacrificantis desiderabatur.

## SAMOS INSULA.

Bovis procumbentis pars anterior ad d.

)( ΣΑΜΙΩΝ. Prora navis formae aprinae ad d. AE. $2\frac{1}{2}$. (*de Rauch*). Tab. II. n. 5.

Navis, quam singulari forma effictam in nummo videmus, a Samiis inventoribus *Samaena* dicta, Samiorum erat quodammodo symbolum, velut Atheniensium noctua.

Scilicet Samii, qui cum omnino re navali prae ceteris pollerent, tum Polycrate maxime dominante mari tenebant principatum, ita naves suas construxerunt, ut et magnis oneribus gestandis pares essent, et ad navigandum celerrimae, puppibus quippe largis et ventruosis, sed proris, quae aprorum formas imitarentur, in altum exstantibus ([1]). Cuiusmodi rostra, formae aprinae, de captis Samiorum navibus tropaea Aeginetas domi in aede Palladis posuisse auctor est Herodotus ([2]).

Quum autem tam singularis navium Samaenarum forma esset et Samo propria, ut, quemadmodum Atheniensium bello captorum frontibus *noctuas* Samii imprimerent, ita captivos Samios stigmate *Samaenam* referente Athenienses

([1]) Plutarchi Pericles, cap. 26. p. 166. cf. Photii et Hesychii lexica s. v. Σάμαινα.

([2]) Hdt. III. 59. Anno ante Chr. 518.

notarent (1): non mirum in moneta quoque Samia Samaenam, ut in Atheniensi noctuam repraesentari. Quae et ipsa Samiorum moneta nomen *Samaenae* tulisse dicitur (2).

Similes nostro nummo videntur quos Sestinius ex Museo Hedervariano desumptos non satis accurate descripsit, quum in alio nonnisi proram navis singularis formae, in alio ipsum aprum agnosceret (3).

## MYNDUS CARIAE.

Caput Bacchi hedera coronatum ad d.

)( ΜΥΝΔΙΩΝ ΘΕΟΚΛΗΣ. Uva intra circulum. AR. 2. (*de Rauch*). Tab. II. n. 11.

Qui huc usque innotuerunt rarissimi huius urbis nummi argentei hinc caput Iovis repraesentant, inde lotum. Sed cum Iove Bacchum quoque apud Cares praecipue cultum esse constat, qui deus conspicitur in nummis Harpasae, Nysae, Orthosiae, Tabae, Tripolis Cariae urbium. Vina in illis regionibus nunc quoque optima gignuntur.

Magistratus Myndiorum noti sunt Menodorus, Demophon, alii; nummus noster nitidissima scriptura *Theoclis* nomen exhibet.

---

(1) Plutarch l. c. Photius tamen in lexico p. 499. ita rem invertit: *ὅτι Ἀθηναῖοι μὲν τοὺς ληφθέντας ἐν πολέμῳ Σαμίους ἔστιζον γλαυκί, Σάμιοι δὲ Σαμαίνῃ.* Item Suidas s. v. *Σαμίων ὁ δῆμος*, qui Lysimachum libro secundo Nostorum citat.

(2) Photius et Suidas s. v. *τὴν Σάμαιναν νόμισμα εἶναι.*

(3) Sestini Museo Hederv. T. II. p. 208. n. 17 sqq. et n. 9. qui nummus argenteus cum eo fere consentit, qui in Museo Allier de Hauteroche Tab. XVI. n. 14. est.

## ATTALIA PAMPHYLIAE

### IMP. TREBONIANO GALLO.

**ΑΥ ΚЄ Γ ΟΥΙΒ ΤΡЄΒΩ ΓΑΛΛΟC.** Caput Treboniani Galli laureatum, cum paludamento, ad d.

)( **ΑΤΤΑΛЄΩΝ.** Nemesis alata stans ad s., dextra frenum, sinistra tubam; ante pedes gryphus sinistrorsum versus, pedem dextrum rotae imponens. AE. $6\frac{1}{2}$. (*de Rauch*). Tab. II. n. 10.

Constat, inter varias urbes *Attalia* dictas ei potissimum, quam in Pamphyliae littore cognominem sibi Attalus II. Philadelphus condidit (1), tribuendos esse nummos qui Nemesin repraesentant, quippe quae dea in omni illo tractu singulari religione colebatur. Urbs haecce ab initio non ignobilis, sub imperatoribus Byzantinis etiam aucta, ut splendidissima sub Comnenis esset (2), nomine in *Satalia* vel *Antalia* mutato usque ad nostra tempora floruit. In eius nummis imperatoriis, quorum pro urbis dignitate satis longa est series, tamen Trebonianus Gallus, rarior omnino ob imperii brevitatem, hucusque desiderabatur. Nemesis in Attaliae et vicinae Sides nummis non ut dea Rhamnusia, opus Phidiae, antiquo more ἄπτερος, sed alata fingitur (Νέμεσις πτερόεσσα) (3), qualem a Smyrnaeis repraesentatam cum Pausanias (4) tradit, tum aliquot numismata testantur. Ex huius numinis insignibus *frenum* (5), quo inanem mor-

---

(1) Strabo XIV. p. 983.

(2) ἡ Ἀττάλου λαμπροτάτη πόλις. Nicetas Choniates p. 169. ed. Paris. Multam ei urbi curam a patre Alexio I. impensam narrat Anna Comnena, Alexiad. XIV. p. 419. 420. ed. Paris.

(3) Mesomedes in Epigr. Brunck Anal. II. p. 292. I. v. 1. Etiam Synnada et Hierapolis, Phrygiae urbes, Nemesin alatam in nummis finxere.

(4) I. 33. 7.

(5) Saepe *sistrum* dicitur id quod manifesto frenum est, ipsaque dea

talium fastum cohibere poetis dicitur, aeque usitatum est, ac *rota* et *gryphus.* Quem alitem Nemesi sacrum, cui propter vigilantiam celeritatemque optime competit, nonnumquam in nummis Smyrnae, pede dextro rotae imposito, ipsius deae, quae res humanas rotae instar invertit, vices implere videmus. *Tuba,* praeter morem Nemesi attributa, tam clare tamen in nummo nostro expressa est, ut facile ab usitatioribus eius deae insignibus distinguatur, ex quibus sunt cornu copiae, sceptrum, gubernaculum, *ramus mali* (¹). Quo in loco monere liceat, non amplius Nemesi tribuendum esse *fraxini* ramum, quem secundum Pausaniae auctoritatem videre in nummis sibi visus est praestantissimus Eckhelius (²), versione profecto deceptus Amasii. Nam verba graeca sunt in omnibus eius scriptoris exemplaribus: ταῖς δὲ χερσὶν ἔχει τῇ μὲν κλάδον μηλέας (*mali,* non μελίας, *fraxini*), τῇ δεξιᾷ δὲ φιάλην (³).

## DIOCAESAREA CILICIAE.

ΑΔΡΙΑ... Caput muliebre turritum ac retro velatum, ad d.

)( ΔΙΟΚЄCΑΡ... Aquila ramum unguibus tenens, ad d., capite retro flexo. AE. 5. (*de Rauch*). Tab. II. n. 1.

Huius urbis nummi omnino rarissimi sunt. Antea nonnisi imperatorii aliquot editi erant: nuperrime Iacobus

---

pro *Iside* habetur, ut legere est adhuc in Mionneti supplemento novissimo.

(¹) Fortassis id quod aut *clava* esse, aut *pharetra* Mionneto videtur (*Suppl.* VI. p. 356. n. 1776.) cum *tuba* nostra congruit.

(²) Doctr. Num. II. p. 551.

(³) Pausan. I. 33. 3.

Millingen autonomum publicavit ([1]), qui hinc caput Mercurii, cuius in lineamentis Hadrianum agnoscas, inde uvam cum duobus foliis exhibet. Epigraphe similiter atque in nostro bipartita est.

Aquila huic urbi competit propter cultum Iovis antiquissimo tempore ab Aiace Teucri f. ea in regione constitutum. Cuius dei thronus, fulmine imposito, spectatur in nummis imperatoriis Diocaesareae eadem forma expressus, qua in moneta Sacerdotum Olbensium. Hi enim toparchae erant τῶν Κεννατῶν, quorum se metropolim Diocaesarea in nummis praedicat.

## CAESAREA CAPPADOCIAE

### IMP. CARACALLA.

ΑΥ ΚΑΙ Μ ΑΥΡΗ ΑΝΤΩΝΙΝΟC. Protome Caracallae laureata cum paludamento, ad d.

)( CMYPNAI KAICAPE OMON. In area ЄΤ ΙΔ. Mons Argaeus, cuius in medio antrum, in vertice stella. AE. 9. (*de Rauch*). Tab. II. n. 7.

Praestantissimus hic nummus unicus est Caesareae qui concordiam exhibeat. Caesareae autem, non Smyrnae cusum esse comprobant et Argaeus mons ad quem sita Caesarea erat, et annus imperatoris secundum eius urbis morem nummi areae inscriptus. Qui annus Caracallae decimus quartus si ad Caesareae normam exigitur, incipit a die XII. mensis Decembris anni 963 ab u. c. (210 post Chr. n.).

Argaeo monti longe altissimo, cuiusque verticem perpetua nive tectum conscendere paucis contigit, divinos ab

---

([1]) *Ancient coins of Greek cities and kings, London* 1831. 4. p. 75. Tab. V. n. 19.

accolis honores habitos esse constat ([1]). Debebat sane admiratio hominum et quidam timor moveri innumeris barathris quae illibi erant et quasi faucibus flammas noctu exhalantibus ([2]). Antrum igitur medio in monte hians etiam in nummis repraesentatur (in nostro artificiosis quibusdam lineis cinctum) quod montis numini sacratum putaverim. Statuam, quae nonnullis in nummis monti insistit, montis genium repraesentare Eckhelius colligit ex Maximi Tyrii verbis. Qui tamen ita potius dicit, quemadmodum alii populi deorum statuis careant, Celtae ex. gr. altam quercum pro Iove venerentur, sic Cappadocibus montem ipsum esse loco dei eiusque simulacrorum.

## SYRIA

IMP. HADRIANO.

ΑΥ ΚΑΙ ΤΡ ΑΔΡΙΑΝΟΣ. Caput Hadriani laureatum ad d.

)( ИΩIЯVƆ ƆIƆIЭ. Caput Isidis ad d. AE. $3\frac{1}{2}$. (*de Rauch*). Tab. II. n. 8.

Eodem quo nummi argentei ΘΕΩΝ ΚΑΒΕΙΡΩΝ ΣΥΡΙΩΝ inscripti pertinent etiam hi, qui Isidis caput exhibent. Quorum in uno prope caput deae scriptum est ΣΥΡΙΩ ΚΑ, in reliquis plerumque ΙϹΙϹ ϹΥΡΙΩΝ. Quis autem illustres illos argenteos cum tot aeneis Syro, minutae insulae Cycladum uni, cuius proprium typum Pana cum capro novimus, tribuendos esse Sestinio ([3]) ita iubenti concesserit? Quod nolim a Mionneto ([4]) factum esse.

---

([1]) Maxim. Tyr. Dissert. VIII. §. 8. p. 89. ed. Markland.

([2]) Strabo Lib. XII. p. 538. μετὰ βάραθρα πυρός .... καὶ νύκτωρ ἐξάπτονται φλόγες.

([3]) Classes generales, ed. II. p. 56.

([4]) *Suppl.* IV. p. 404.

Cabiri et Isis, numina nautis propitia, in Syriae urbibus maritimis singulari religione colebantur. Cabiros, communi cum Dioscuris cultu, nummi *Beryti* et *Tripolis* venerantur: utramque inter urbem sita *Byblus* Isidem in nummis finxit. Bybli enim, quo Isis Osiridis corpus quaesitum venerat, veterem eius deae aedem religionemque sua aetate exstare Plutarchus ([1]) testatur. Hadriani tamen tempore Isidis sacra ibi quoque aucta et instaurata videntur, neque enim ante eum imperantem Isis in his nummis Syriis repraesentata invenitur.

Nomina Isidis, Isidori, Isiadis, per ЄΙ scripta non aliena sunt ab inscriptionibus.

## ALEXANDRIA AEGYPTI

### IMP. HADRIANO.

Caput Hadriani laureatum intra circulum, sine epigraphe.

)( LEN Cornu copiae. AE. 1½. (*B. Friedlaender*). Tab. I. n. 10.

Aegyptus, terra fertilissima et iam sub Ptolemaeis regibus felicitatem suam, cornu copiae ([2]) nummis imposito, iure gloriata, cum omni imperatorum Romanorum aetate, tum sub Hadriano maxime insignem cudit copiam nummorum, ex quibus alii ob eximiam molem conspicui, alii ob singularem exiguitatem notandi sunt. Noster est ex minimis; anno cusus Hadriani imperantis, secundum Alexandrinum calculum, nono (*λυκάβαντος ἐνάτου*), qui ab exeunte

([1]) De Iside et Osiride cap. 16.

([2]) Possunt, quibus volupe est, frequens hoc in Aegyptia moneta cornu copiae ad domesticam huius symboli originem a Diodoro traditam referre. Qui narrat (Lib. III. c. 67.) Ammonem Libyae regem Amaltheae donasse regionem fertilissimam figura sua bovis cornu imitantem, quam regionem mulier de se Amaltheae cornu nuncupaverit.

mense Augusto anni 877 u.c. ad eiusdem mensis diem 29 anni sequentis porrigitur. Quoad exiguitatem similes editi sunt ex Museo Fontana (1); quoad typum et annum, sed volumine duplo maiore, apud Mionnetum (2).

## IUBA I. NUMIDIAE REX.

Caput Iovis Ammonis barbatum ad d.

)( Epigraphe Numidica. Elephas ad d. Aes varie mixtum. 12. (*Mus. Reg. Boruss.*). Tab. I. n. 4.

Aenigma inscriptionis Numidicae, cuius elementa a notis litteris Punicis multum diversa videntur, solvi quidem nequit nisi nova monumenta inexspectatam rei lucem afferunt. Sed tamen huiusmodi nummos Iubae I. tribuendos esse probabile est, quoniam eandem epigraphen habent nummi, in quibus capiti regis Iubae bene capillati (qualem fuisse Cicero ait) latine adscriptum est: REX IVBA. Nummus noster ab eo quem Pellerinius (3) aliique ediderunt mole longe maiore differt. Nummis qui in catalogis Iubae I. tribuuntur praeter nostrum addendus est etiam is, quem C. Falbe, vir de his studiis optime meritus, delineare iussit in tabula quae nunc in eius amicorum manibus est. Nummus (AE. 10.) hinc exhibet templum octo columnarum, non prorsus tam rude effictum quam in moneta Karthaginis est, inde templum vel porticum quinque columnarum, cui imminent tres cellae cum totidem litterarum vestigiis. Infra est inscriptio Numidica eadem quae in nostro nummo, aliquot tamen elementis paullo aliter figuratis.

(1) Sestini *Descrizione di med. gr. di Fontana,* P. II. Tab. XI. n. 12 sqq.

(2) T. VI. p. 160. n. 956.

(3) *Recueil de médailles de peuples et de villes* Vol. III. pag. 144. Tab. 120. n. 2.

### *Incertus.*

## (NEAPOLIS CAMPANIAE?)

ΧΑΦΟΛΙΝΙ. Caput muliebre stephane cinctum cum inauribus et monili, ad d.

)( Taurus cum facie humana gradiens ad d. a supervolante Victoria coronatur. AR. 5. (*Levezow*). Tab. I. n. 9.

Mira nitidissimi huius nummi epigraphe omnem explicatum fugit. Propter typos tribuendus est Campaniae, neque urbium ulli magis convenit quam Neapoli, cuius urbis in nummis similes inscriptiones eidem capiti muliebri adstitutae leguntur, ex. gr. ΧΑ, ΧΑΡ, ΧΑϘΙΑΣ (1).

### *Incertus.*

Forma incerta ad similitudinem prorae navis accedens.

)( Quadratum incusum. AR. 3. *crass.* (*Mus. Reg. Boruss.*). Tab. II. n. 6.

Hic nummus in insula *Iava* ad oppidum *Materam* dictum sub antiquissimi templi ruderibus inventus est a praefecto militum Batavorum, cui nomen Götzloff. Quid de eo nummo statuendum sit prorsus ambiguum est. Utrum dicamus eum cusum esse in ipsa insula Iava, quae sane argenti ferax est? Inaudita res esset, et admiranda fabricae cum antiquissimis Graecorum nummis congruentia. An nummum Graecum potius esse dicamus, illasque in regiones prisco mercatorum commercio exportatum? At sexto id aut quinto certe saeculo ante aeram nostram factum esse oportebit, forma enim nummi remotissimam antiquitatem non dubie testatur. Posteriores sane nummos, praesertim

(1) Mionn. I. p. 116. n. 156; *Suppl.* I. p. 242. n. 300 et p. 243. n. 302.

imperatorios Traiani, Hadriani, aliorum, eosque optime servatos in India inventos esse constat ([1]), ut recte dixisse Cosmas ille Indicopleustes videatur: ἐν τῷ νομίσματι Ῥωμαίων ἐμπορεύονται πάντα τὰ ἔθνη. Quodsi nummus noster Graecus est, optime comprobat quae de antiquissimis navigationibus in Indiam factis partim suspicari licet, partim testimoniis comprobare.

Ex ipso nummo divinari, cui Graecarum civitatum debeatur, omnino non possumus, praesertim quum quadratum incusum, quamvis in universum res Graeci moris, tamen a singulis formis quae in nummis Graecis observantur, nonnihil discrepet. Incunabulis et artis monetariae, et typographiae commune est illud *sine anno et loco.*

## PONDERA ITALICA.

1. Caput aquilae ad d. et tres globuli.
   )( Caput muliebre ad d. AE. 9. fusus. Quadrans.
   (*Ex Museo Comitis de Koller*). Tab. III. n. 2.
2. Caput Gorgonis adversum et tres globuli.
   )( Stella sex radiorum et tres globuli. AE. 12. fusus. Quadrans. (*Ex eodem Museo*). Tab. III. n. 3.

Constat Italiam initio *aere* usam, Graeciam *auro* et argento. *Aerarium* Romani habuere, Graeci θησαυρόν. Versus Philippi II. demum aetatem Graecia aes quoque signare coepit, Roma paullo posterius argentum et aurum. Mox Graecae civitates, amisso cum libertate auri et argenti usu, in vilissimo metallo constiterunt, dum Roma, orbis terrarum dominatrix, auro argentoque abundat. Allegoria est Graeciae a nativa ingenii nobilitate ad vilitatem sensim

([1]) *Asiatick Researches* Vol. II. *Fifth edit. London.* 1807. 8. pag. 331 et 332.

delapsae, Romae a rudiore fortitudine ad artes ingenuas progressae.

Pondera duo, quae descripsimus, cui Italiae mediae civitatum tribuenda sint definiri nequit.

Globulorum numero pretium monetae indicare praeter Italiam, Siciliam, Liparam, etiam Aegyptus consuevisse videretur, si certum esset, Scarabaeis vario globulorum numero insignitis Aegyptios pro moneta usos esse, id quod docte nuper demonstrare tentavit S. Quintinus (1) tum aliis adiutus argumentis, tum testimonio Platonis (immo incerti Eryxiae auctoris) (2), qui Aethiopes gemmas sculptas nummorum loco habuisse perhibet. S. Quintini opinionem ingeniose nuperrime sustentavit et amplificavit Stieglitzius (3), cui antiquissimi Graecorum nummi, testudines quippe Aegineticae, Scarabaeorum formam imitari videntur. Ignoscant viri ambo doctissimi, si argumentis eorum mihi nondum satisfactum esse fateor.

Sed quod ad globulos attinet, mirum mihi semper visum, ab Eckhelio, Mionneto, aliisque summis numismaticis non observatum esse, ut Romani non globulis modo sed etiam peculiaribus typis singulas assis partes distinxerint atque ipsum assem Iano, semissem Iovi, trientem Palladi, quadrantem Herculi, sextantem Mercurio, denique unciam deae Romae sacraverint: ita apud alias quoque non paucas Italiae civitates legem prorsus similem obtinuisse. Qua lege cognita plurimi errores in recentissimis etiam libris commissi facile evitari poterant. Exempla huiusmodi systematum luculentissima aliquot appono:

---

(1) *Sull' uso de' monumenti egiziani detti communemente Scarabei. Torino.* 1825. 8. Item alibi.

(2) p. 400. *b.*

(3) *Kunstblatt* 1833. St. 18. 19.

HADRIA PICENI (1).

| | | |
|---|---|---|
| *As.* | Caput senile adversum. | )( Canis vel lupus iacens. |
| *Semis.* | Caput muliebre in concha. | )( Equus alatus. |
| *Triens.* | Caput imberbe. | )( Diota (Vasa Hadriana celebria erant). |
| *Quadrans.* | Piscis. | )( Piscis. |
| *Sextans.* | Gallina. (Gallinae Hadrianae maximam fecunditatis laudem habebant). | )( Calceus. |
| *Uncia.* | Ancora. | )( (Nihil praeter epigraphen et globulum). |

LARINUM FRENTANORUM (2).

| | | |
|---|---|---|
| *Quincunx.* | Caput Palladis. | )( Eques. |
| *Triens.* | Caput Iovis. | )( Aquila fulmini insistens. |

(1) Huius urbis nummi bene illustrati a Melch. Delfico (*Della antica numismatica della città di Atri. Teramo* 1824. fol. et *Napoli* 1826. fol.) omnes *fusi* sunt ex aere gravi. Quem semissem diximus, fortasse quincunx est, si iis fides habenda auctoribus, qui nonnisi quinque globulos agnoverunt. — Minus perspicua huiusmodi lex est quae valuit apud *Tudertes* Umbriae, qui postero tempore nummos percusserunt etiam sine unciarum nota. Sed qui *fusi* sunt eorum nummi antiquiores, maximam partem hanc agnoscunt legem:

| | | |
|---|---|---|
| *As.* | Aquila. | )( Cornu copiae. |
| *Semis.* | Canis iacens. | )( Lyra. |
| *Triens.* | Manus caestu armata. | )( Duae clavae. |
| *Quadrans.* | Rana. | )( Ancora. |
| *Sextans.* | Cicada. | )( Tridens. |
| *Uncia.* | Diota. | )( Cuspis. |

Aliae tamen urbes in diversis assis partibus unum eundemque servarunt typum, veluti Teate, Brundusium, Volaterrae: aliae diversos quidem typos, sed eos non singulis assis partibus proprios habuerunt, ex. gr. Paestum, Capua, Atella.

(2) Nota est epigraphe LADINOD, quam pro LARINOR*um* positam esse non posse iam Eckhelius vidit, quum Latina certe lingua Larini gentile fuerit *Larinas*. Addo eandem formam domesticis Larinatium litteris in patera antiqua scriptam legi ƎϤΠIΟΑϽ, quae patera est in Museo Regio Berolinensi.

| | | | |
|---|---|---|---|
| *Quadrans.* | Caput Herculis. | )( | Centaurus currens. |
| *Sextans.* | Caput muliebre velatum et coronatum. | )( | Delphinus. |
| *Uncia.* | Caput Apollinis. | )( | Cornu copiae. |

LUCERIA APULIAE.

(Colonia a Romanis deducta a. u. c. 440.)

| | | | |
|---|---|---|---|
| *Quincunx.* | Caput Palladis. | )( | Rota. |
| *Triens.* | Caput Herculis. | )( | Pharetra, clava, arcus. |
| *Quadrans.* | Caput Neptuni. | )( | Delphinus supra tridentem. |
| *Sextans.* | Caput muliebre velatum et coronatum. | )( | Concha. |
| *Uncia.* | Caput Apollinis. | )( | Rana. |

VALENTIA BRUTTII.

(Colonia a Romanis deducta a. u. c. 561.)

| | | | |
|---|---|---|---|
| *As.* | Caput Iovis. | )( | Fulmen. |
| *Semis.* | Caput Iunonis. | )( | Duplex cornu copiae. |
| *Triens.* | Caput Palladis. | )( | Noctua. |
| *Quadrans.* | Caput Herculis. | )( | Duplex clava. |
| *Sextans.* | Caput Apollinis. | )( | Lyra. |
| *Uncia.* | Caput Dianae. | )( | Canis. |

Ex his Larinum et Luceria deos in quincunce, sextante et uncia communes habent, Valentinae autem monetae maxima adfinitas cum Romana intercedit. Ianus quidem, deus Romae proprius, quum nihil ad Valentinos pertineat, principatum in horum nummis Iovi tradidit, cuius loco semissem Iuno occupavit. Trientis autem et quadrantis numina uti apud Romanos, ita apud Valentinos quoque Pallas et Hercules sunt. Ceterum quum alius deorum ordo in aliarum urbium nummis observetur, *Palladi* apud omnes praecipuum honorem habitum esse apparet. Cuius deae numen tam sanctum et antiquum a Romanis

habitum, ut solum Ilio in Italiam ab Aenea advectum crederetur (1), in Romanorum systemate monetario proximum Iovi locum occupavit. Idem locus honorificentissimus, id quod valde mirati sunt interpretes, Palladi potissimum tribuitur ab Horatio (2):

> Unde nil maius generatur ipso
> Nec viget quidquam simile aut secundum:
> Proximos illi tamen occupavit
> Pallas honores.

In Iovis Capitolini templo cellam Pallas habebat ad dextram Iovis, Iuno ad sinistram. Numismata id testantur Vespasiani, Titi, Domitiani, quae rem prorsus ita repraesentant, ut Dionysius Halicarnassensis descripsit (3). In Antonini Pii nummis media sedet aquila, ad dextram noctua, ad sinistram pavo. Eadem Palladis veneratio ad Valentinos propagata videtur, quorum in systemate monetario Pallas proximum locum habet post Iovem et Iunonem.

## FAUSTINA IUNIOR.

1. FAVSTINA AVGVSTA. Caput Faustinae ad s.
   )( *Sine epigraphe.* Dea throno insidens sinistra sceptrum tenet, dextra tres infantes porrigit feminae stanti. AE. 12. (*Schaufs*). Tab. III. n. 1.
2. FAVSTINA AVG PII AVGVSTI F. Caput Faustinae ad s.
   )( *Sine epigraphe.* Mulier stans sinistra infantem tenet, dextra contingit cornu copiae a duobus in-

(1) Pausan. II. 23. 5.

(2) Od. I. 12. 17. cf. Buttmann Mythologus I. 27.

(3) Lib. IV. c. 61. Ἐν δὲ αὐτῷ τρεῖς ἔνεισι σηκοί.. μέσος μὲν ὁ τοῦ Διός· παρ᾽ ἑκάτερον δὲ τὸ μέρος ὅ τε τῆς Ἥρας καὶ ὁ τῆς Ἀθηνᾶς.

fantibus sustentatum, ad s. adstat infans. AE. 11. (*Museum Reg. Boruss.*). Tab. III. n. 4.

Uterque typus ad *fecunditatem* Faustinae referendus est, quae virtus simul cum pudicitia inter muliebres laudes fere maxima apud Romanos habebatur. Agrippinam Germanici uxorem Tacitus quum summis laudibus efferre velit, insigni fecunditate, praeclara pudicitia fuisse ait ([1]). Fecunditati Nero etiam templum decrevisse narratur ([2]). Faustina tamen prima inter Augustas fecunditatem suam in nummis iactavit. Eius liberorum numerum in longa nummorum serie usque ad senarium accrescere videmus. In nostrorum numismatum priore tres sunt, qui a *Iunone Lucina* Augustae tradi videntur ([3]). Totidem infantes spectantur in aliis Faustinae nummis IVNONI LVCINAE inscriptis.

## VALENS.

D N VALENS P F AVG. Protome Valentis cum diademate margaritis vel gemmis pergrandibus distincto.

)( RESTITVTOR REI PVBLICAE. Imperator stans, sinistra labarum, dextra erigit feminam capite turrito, quae s. cornu copiae tenet. Infra TR OBS. AV. 16. cum annulo et lato margine a parte antica varie exornato. Adpendit aureos 22. (*Mus. Reg. Boruss.*). Tab. IV. n. 2.

Imperatores Byzantini quum saepe monetam vilioris materiae pro argentea emitterent, aurum non modo purum

---

([1]) Annal. I. 41. — Bis in eadem Agrippina fecunditatis mentionem repetit, Annal. II. 43 et IV. 12.

([2]) Tacit. Annal. XV. 23.

([3]) Non absimilis est nummus editus inter Numismata moduli maximi Ludovici XIV. Tab. 11. n. 4.

ac probum servarunt, sed etiam plurima et maxima pretiosissimi metalli numismata percusserunt, ex quibus quae annulis appensa et saepe marginibus a parte antica ornatis cincta sunt, ea veluti virtutis praemia ab Imperatoribus dispensata fuisse vix potest in dubium vocari ([1]). Aurum Byzantinum tunc apud omnes fere populos valebat. Ipsum Persarum regem nonnisi argenteam monetam signasse auctor est Procopius ([2]). Aureos autem Arabum nummos usque ad annum aerae domesticae 76. titulum Graecis litteris exaratum habuisse, argenteos Persicis, Elmacinus perhibet ([3]). Prohibebant enim Imperatores Byzantini, ne a quoquam in orbe terrarum praeterquam ab ipsis vel ipsorum nomine aurum signaretur. Quum tamen urbs monetaria, Arelate, in qua aurum Gallicum Imperatoris effigie percuti solebat, in barbarorum venisset potestatem, tunc demum ab his propria auctoritate monetam auream signatam esse Procopius ([4]) narrat.

Ea aetate falsarii cum vilissimam argenti monetam imitando quaestum facere non possent, aurum adulterarunt. Aurum plumbo tunc vitiari solitum esse colligo ex verbis anonymi scriptoris apud Bandurium ([5]).

Nummus *Treviris obsignatus* est, urbe monetaria non in ea imperii parte sita, quae Valentis erat. Id tamen non rari exempli fuit quoties inter amicos regnum divisum erat. Valens ut *triumphator gentium barbararum* ob Gothos de-

([1]) cf. Ant. Steinbüchel *Notice sur les médaillons Romains en or du Musée I. R. de Vienne. Vienne* 1826. 4.

([2]) Procop. de bello Gothico Lib. III. 3. 33. Vol. II. p. 417. ed. Bonn.

([3]) Elmacini Hist. Saracen. p. 64. ed. Erpenii, Lugd. Bat. s. a. fol.

([4]) l. l.

([5]) Imperium orientale I. 3. p. 85. Saeculo quinto, Leone imperante, Artaburius capitis damuatus „nemo, inquit, qui aurum plumbo vitiavit (ἐδεὶς μολύβδῳ χρυσὸν καταμίξας) tam grave supplicium subit."

victos nominatus videtur, ita *restitutor reipublicae* Procopio tyranno ad Nacoliam Phrygiae feliciter debellato. Similiter Theodosium regni adfectatore superato restitutorem reipublicae dictum modo videbimus.

## THEODOSIUS MAGNUS.

D N THEODOSIVS P F AVG. Protome Theodosii Magni cum diademate margaritis distincto ad s.

)( RESTITVTOR REI PVBLICAE. Imperator stans capite nimbato, sinistra labarum, dextra erigit feminam capite turrito, quae s. cornu copiae tenet. Infra AQ OB. AV.13½. cum annulo. Adpendet aureos 13¾. (*B. Friedlaender*). Tab.IV. n.1.

Nondum ullus innotuit huius imperatoris aureus maximi moduli. Noster *Aquileiae obsignatus* videtur aut anno p. Chr. 388, quo Theodosius Maximo tyranno ad Aquileiam devicto triumphans urbem intravit pluresque menses ibi est commoratus, aut anno p. Chr. 393, quo Eugenium imperii adfectatorem christianaeque fidei insectatorem iisdem in locis bello superavit et victor iterum Aquileiam ingressus est. Tunc non *reipublicae* modo, verum etiam christianae religionis *restitutor* vexillum Christi in Italiae solo erexit. Cuius rei memoria vel ultro nobisr evocatur adspectu huius numismatis, quod fortitudinis praemium alicui ex militibus ab imperatore datum esse probabile est. Narrant illo tempore Theodosium, quum Iovis statuas fulmina aurea manibus gestantes deiici iussisset, militibus per iocum iactantibus, non inique se laturos, si in se huiusmodi fulmina caderent, ridentem aurum illud dono dedisse. Similiter Alexandriae deorum signa conflata atque in monetam conversa indigentibus tribui iusserat ([1]).

([1]) Theophanes p.61. *b.* ed. Paris.

Imperatoris caput in nummi postica nimbo sive aureola singularis formae ambitur. Eiusmodi enim fulgor, quem a rerum natura non alienum esse physici norunt, iam antiquissimo tempore ab hominibus observatus maiestatis cuiusdam et divinitatis testis semper habitus est. Moses narratur quum de monte Sina descenderet vultum fulgore circumfusum habuisse quod cum Deo esset locutus (1). Servio Tullio adhuc puero quum forte in regia dormiret caput arsisse fertur multorum in conspectu (2). Ars deinde nimbos finxit non solum apud Graecos Romanosque, verum etiam apud Indos et Aegyptios. A coronis radiatis ad lunulas (μηνισκούς) transitum est; illae sculpturae, hae picturae magis conveniebant. Hercules, uti Sophocli (3) dicitur Θείῳ πυρὶ παμφαής, ita in nummo Oetaeorum Thessaliae fingitur capite radiato: In Homeri codice Mediolanensi deorum capita orbe sive nimbo cincta conspici notum est (4). Quod ad varios nimborum colores attinet, qui in antiquiorum imaginum nonnullis observantur, animadvertendum est homines credidisse, beatorum corpora post mortem variis aureolarum generibus insignia fore. Iosephus Angles (5) ait: quod in corporibus virginum, martyrum et doctorum erunt insignia quaedam quibus huiusmodi aureolas in anima habere prae se ferent, quodque *virgines* in capite aliquam coronulam *albam*, *martyres rubram* et *doctores viridem* gestabunt.

---

(1) Lib. II. Mos. cap. 34. v. 29.

(2) Liv. I. 39.

(3) Philoct. v. 731.

(4) Haec non amplius persequor, quoniam post Ciampinium, Cangium, Eckhelium, nuper bene tractata sunt a Fr. Adelung, *Die Korssùnschen Thüren, Berlin* 1823. 4. p. 61 - 64, et a Fr. Müntero, *Sinnbilder und Kunstvorstellungen der alten Christen, Heft* II. *Altona* 1825. 4. p. 20 - 22.

(5) Flores theologicarum quaestionum, in IV Sentent. dist. 49. art. 6. consult. ult.

## IOANNES VII PALAEOLOGUS II.

+ IωAN BACIΛEVC O ΠAΛEOΛOΓO. Protome imperatoris adversa cum nimbo; in area utrimque globulus.

)( Protome Christi adversa cum nimbo; in area $\overline{IC}$ $\overline{XC}$ / C Π in margine globuli. AR. 5. (*de Rauch*). Tab. IV. n. 3.

Hic nummus unicus ac pretiosissimus quum eiusdem prorsus sit fabricae cuius sunt nummi Manuelis Palaeologi nuper primum editi a L. B. de Marchant [1], eadem fere cum illis aetate cusus videtur. Nulli igitur imperatorum melius profecto competit quam Ioanni VII Palaeologo II, Manuelis ex fratre nepoti, qui a patruo quamvis invito, Baiazitis impulsu, in imperii societatem adscitus primum simul cum illo, deinde solus regnavit, dum Manuel in Galliam aliasque regiones longinquas proficiscitur [2] (a. 1399 - 1402 p. Chr.). Quo post Baiazitis cladem in pristinum imperium reverso, Ioannes regno deiectus ac Lemnum insulam relegatus per aliquod tempus Thessalonicam obtinuit [3]. Ab hoc igitur Ioanne VII Palaeologo II,

---

[1] *Mélanges de numismatique et d'histoire, Lettre* 23, *Metz* 1827. 8. *Planche*, no. 9. — Nihilominus Akermanus, cuius opus anno 1834 prodiit, nullos dicit Manuelis nummos editos esse.

[2] Phrantzes quidem (Lib. I. c. 20.) rem ita narrat quasi Ioannes a patruo in Italiam discessuro rebus Constantinopoleos administrandis praefectus fuerit, non Baiazitis ope in solio constitutus. At longe aliter Ducas (p. 54 sqq. ed. Bonn.), qui Ioannem cum decem Turcorum millibus Constantinopolin obsedisse ac patruo tantum non vi urbe eiecto diadema sumpsisse narrat. Dubitari igitur secundum Ducae auctoritatem non potest, quin cudendae ius monetae Ioannes habuerit.

[3] Ducas p. 78. 79. ed. Bonn.

cuius nullusdum nummus innotuit, nostrum eo tempore quo solus regnavit cusum esse propter magnam cum Manuelis moneta similitudinem probabile est.

Sed tamen non magnopere adversabor si quis erit qui ius monetae suo nomine cudendae Ioanni omnino non fuisse dicat ideoque nummum nostrum alterutri ex reliquis duobus Palaeologis, qui Ioannes nominati fuere, attribuere malit. Quorum imperatorum alterius, qui quinquaginta ante Manuelem annis imperare coepit (1341 - 1391) omnino nullum novimus nummum, alterius, qui Manueli successit (1425 - 1448) nonnisi unum eumque dubiae fidei.

Iuvat hoc loco observare, artis in ultimam barbariem delapsae ac longe remotae ab eo rigore qui in rerum Graecarum primordiis futurae semina perfectionis continuerat, tantam tunc fuisse debilitatem atque inertiam, ut sculptores monetae non amplius ipsas figuras rotundas atque ex area exstantes fingere scirent, sed imitarentur potius circuitus linearum quales imago barbare, ut tunc fiebat, picta vel delineata exhiberet. Quemadmodum enim priscis temporibus sculptura, quae non decipere oculos intuentium, sed in ipsa materia summam formarum pulchritudinem exprimere vellet, maximopere Graecorum satisfecit ingeniis, tantumque apud eos praevaluit, ut ad pictorum artem leges quaedam a sculpturae simplicitate ductae adhiberentur: ita posteaquam piis christianorum mentibus pictae effigies praeplacere coepere atque sanctorum imagines pro deorum signis coli in templis solitae sunt, sculptura manifesto picturae imitatrix facta, primum formas fecit depressiores ac magis magisque planas, deinde iam non ipsam rerum rotunditatem expressit, sed, ut in nummo nostro, lineis crassis ac rudibus eas circumscripsit figuras, quae potius ipsae exstare ac rotundari debebant.

Nimbus qui in nummo caput Christi ambit, quum crucis formam contineat, more solito ab imperatoris nimbo differt. In linearum ductibus nimis barbaris agnosci tamen possunt dextra Christi ad benedicendum elata, sinistra evangeliorum codicem tenens.

Litterarum C. Π., quae nomini Iesu Christi ($\overline{\text{IC}}$ $\overline{\text{XC}}$) subiectae spectantur, anceps et ambigua est interpretatio. Ne tamen quid a me praetermissum videatur, etiam a coniecturis, quae plurimae ultro sese offerunt, quamvis invitus non abstinebo. Absonum non esset ab illius aetatis more, quemadmodum in nummo Constantini Monomachi est: *Σώζοις εὐσεβῆ Μονόμαχον*, ita litteras C. Π. interpretari *Σώζοις Παλαιολόγον*, vel *Σώζοις Ἰωάννην Παλαιολόγον*, nam elementum Π in nummo velut monogramma effictum est, quod litteram I in se contineat. Vel si praeplacet legas *Σωτὴρ Παντελεήμων*, hoc enim Christi cognomen usitatum ea aetate fuit.

---

# EXPLICATIO TABULARUM.

## Tab. I.



## Tab. II.



## Tab. III.



## Tab. IV.

# Bücher,

welche in demselben Verlage erschienen sind.

---

## DE ADAMANTE

Commentatio antiquaria.

Scripsit

Mauricius Pinder.

8 maj. 1829. ½ Thlr.

---

A. Hirt,

## die Geschichte der bildenden Künste bei den Alten.

gr. 8. 1833. 2 Thlr.

„Dieses Werk gehört ohne Zweifel zu den bedeutendsten in diesem Fache, und empfichlt sich besonders durch die Klarheit der Thatsachen, einfache faſsliche Darstellung derselben, und ungewöhnliche Kenntniſs der alten Denkmäler, allen Freunden der alten Kunstgeschichte. Namentlich möchten diejenigen, welche eine Hauptübersicht der alten Kunstgeschichte sich klar zu vergegenwärtigen wünschen, dieses in keinem uns bekannten Werke so leicht und gründlich zugleich erreichen." (Museum 1833. No. 32.)

---

Friedrich Schoell,

## Geschichte der griechischen Litteratur,

von der frühesten mythischen Zeit, bis zur Einnahme Constantinopels durch die Türken. Nach der zweiten Auflage aus dem Französischen übersetzt, mit Berichtigungen und Zusätzen des Verfassers nnd der Übersetzer, von J. F. J. Schwarze und M. Pinder.

3 Thle., gr. 8. 1828 - 1830. 9 Thlr.

Was an dem französischen Originale bei dessen Erscheinen durch Recensionen rühmlich hervorgehoben worden ist, eine klare Anordnung, gefällige Darstellung nnd zweckmäſsige Auswahl des Wissenswürdigsten, das findet man, wie Beurtheiler bereits anerkannt haben, auch in der deutschen Ausgabe wieder, welche sich jedoch durch zahlreiche kritische Nachbesserungen und manche in der neuern Zeit nöthig gewordene Zusätze von der französischen wesentlich unterscheidet.

Darstellung des Entwicklungsganges der griechischen Bildung, Geschichte und Charakteristik der einzelnen Zweige der Litteratur, Nachrichten über die Lebensverhältnisse der Schriftsteller, Inhaltsangabe und Beurtheilung ihrer verlorenen oder auf uns gekommenen Werke, Geschichte des Textes der letzteren, verbunden mit der Aufzählung ihrer vornehmsten Ausgaben im Urtexte, so wie in lateinischen und deutschen Übersetzungen, dies Alles in gröſserer Vollständigkeit und Ausführlichkeit, als eine andere griechische Litteraturgeschichte, den ungeordneten Schatz des Fabricius ausgenommen, es gewahrt, bildet im Allge-

meinen den Gegenstand des Werkes. Auch Nachrichten über griechische Inschriften und Papyrusrollen sind nicht ausgeschlossen. Am Schlusse des dritten Bandes, welcher das Ganze beschliefst, finden sich, hinter dem vollständigen Namen- und Sachregister, zwei Übersichts-Tabellen der griechischen Dichter und Prosaiker, auf welchen der Name eines jeden Schriftstellers, griechisch gedruckt, zugleich in die Gattung, welcher er zugehört, und in das Jahrhundert und Jahrzehend seiner Blüthe gestellt ist. Diese Tabellen werden auch besonders, für ⅙ Thlr., ausgegeben.

# Hyperboreisch-römische Studien
## für Archäologie.

Mit Beiträgen von K. O. Müller, Th. Panofka, Otto B. v. Stackelberg, F. G. Welcker. Herausgegeben von Eduard Gerhard.

Erster Theil. gr. 8. 2 Thlr.

Inhalt: 1. Grundzüge der Archäologie; von Ed. Gerhard. — 2. Ausgrabungsberichte; von Ed. Gerhard und Th. Panofka. — 3. Deimos und Phobos; von Th. Panofka. — 4. Über das Zeitalter des Gitiades; von F. G. Welcker. — 5. Die erhobenen Arbeiten am Friese des Pronaos vom Theseustempel zu Athen, erklärt von K. O. Müller. — 6. Der gefesselte Herakles; von Th. Panofka. — 7. Die Himmelfahrt des Herakles; von F. G. Welcker. — 8. Theseus und Antiope; von dems. — 9. Die Enkaustik; von dems. — 10. Die Hermes-Grotte bei Pylos; von K. O. Müller. — 11. Epigraphisches; von Th. Panofka.

## Karl Friedrich Becker's
# Weltgeschichte.


Sechste Ausgabe, neu bearbeitet von Joh. Wilhelm Löbell. Mit den Fortsetzungen von J. G. Woltmann und K. A. Menzel.

14 Theile. gr. 8. 1828-1830.

Mit Königl. Würtembergischem, Großherzogl. Mecklenburgischem und der freien Stadt Frankfurt Privilegien.


Es ist bekannt, dafs diese Weltgeschichte sich nicht auf den engen Kreis weniger Gelehrten beschränkt, sondern für das ganze Volk, für All und Jeden bestimmt ist, und die Gelehrsamkeit nur zu sicherer und festerer Begründung der Thatsachen zu Rathe zieht. Es ist ferner bekannt, dafs diese Weltgeschichte nicht geschrieben ist, um eine gewisse vorgefafste Idee durch alle Geschichte hindurchzuführen, und diese nach subjectiver Meinung zu Gunsten irgend einer Partei zu construiren, sondern um treu und wahr was geschehen ist darzulegen, wie es eben Alle verstehen und fassen können, und die Thatsachen zu Jedem sprechen. Dies Werk will jedem Volke, jedem Individuum gerade durch die Geschehnisse seine Stellung und Volksthümlichkeit klar machen. Dies ist der Charakter der Beckerschen Weltgeschichte, deren lebendiger Darstellung zu allen Zeiten die höchsten Lobsprüche zu Theil geworden sind, und deren Anziehkraft sich fort und fort bewährt. Dafür sprechen sechs Auflagen, deren neueste, in vielen Theilen gründlich umgearbeitet, mit mannigfaltigen Zusätzen und Ergänzungen bereichert, noch zu den wohlfeilen Pränumerationspreisen zu haben ist, nämlich:

die Ausgabe auf gutem weifsen Druckpapier zu 12½ Thaler,
die Ausgabe auf feinem Median . . . . . . . . zu 16⅔ Thaler.



II




1
FAVSTINA AVGVSTA
2
3
4

IV

1


DNTHEODOSIVSPFAVG
RESTITVTORREIPVBLICAE
AQOB


N

2


DNVALENSPFAVG
RESTITVTORREIPVBLICAE
TROBS

N

3



AR